

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Elia Trägård Nicolas Areskog

**Disputationem Academicam De Septem Rabbinorum, Sic Dictis, Praeceptis
Noachi**

Gryphiae: Röse, 1788

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn82201677X>

Druck Freier  Zugang



C I a - 348. ^{1-13.}

ב ש ב
DISPUTATIONEM ACADEMICAM
DE
SEPTEM RABBINORUM,
SIC DICTIS,
PRAECEPTIS NOACHI,

*Bibliotheca
Academica
Rostochiensis*
AMPL. FACULT. PHILOS. IN REG. POM. ACAD. GRYPH.

CONSENSU
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO ET CELEBERRIMO
Mag. ELIA Trågård,
PHILOS. PROF. REG. ET PUBL.
PUBLICO BONORUM EXAMINI
IN AUDIT. MAJ. DIE XXII. JULII MDCCCLXXXVIII
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
SUBJICET

NICOLAUS ARESKOG
YSTADIA - SCANUS.

GRYPHIAE
LITTERIS ANT. FERDIN. RÖSE, REG. ACAD. TYPOGR.

11.

DISPUTATIONIS AC COMMUNIONIS

SEPTENARIUM

HESCHTS RODA

COPIA

LUTETIAE IN LIBRIS ET LIBRARIBUS VITRINIS

SCAMANDRUS

SCAMANDRUS CANTABRICO LONDINENSIS

1710

LIBRARIUS

BURG CO. BORROW M. ELLIOTT

1710

SCAMANDRUS ABBEY

MICHAELIS HARRIS

LIBRARIUS

1710

S:AE. R:AE. M:TIS.

MAGNAE FIDEI VIRO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO

EMINENTISSIMO ET NOBILISSIMO

D O M I N O

O L A V O C E L S I O

INCLYTAE DIOCESEOS SCANIAE BLEKINGIAEQUE

EPISCOPO REVERENDISSIMO

REG. ACADEM. CAROLINAE PROCACELLARIO

COMMENDATORE ORDINIS DE STELLA POLARI

TERTIO INTER OCTODECIM ACADEMIAE

SVECANAE &c.

MAECENATI SUMMO

TENUES HASCE PAGINAS SACRATAS OFFERRE AUDET PRO PE-
RENNI TANTI MAECENATIS INCOLUMITATE CALIDISSIMA
FUNDERE VOTA NUNQUAM DESITURUS.

EMINENTISSIMI NOMINIS.

CULTOR DEVOTISSIMUS
NICOLAUS ARESKOG.

VIRIS

SUMME REVERENDIS ET CELEBERRIMIS

D:NO. PETRO MUNCK,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIM. ARCHI PRAEPOSITO
ET CIVIT. LUNDENSIS PASTORI.

D:NO. NICOLAO HESSLÉN,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. REG. ET ORDIN. PRAEP. ET
PASTORI ECCLESiar. UPÅKRA ET FLACKERUP

D:O. THURONO WEIDMAN,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. REG. ET ORD. PRAEP. ET PA-
STORI ECCLESiar. WALKÅRRA ET STÅNGBY.

D:NO. IOH. IAC. HELLMAN,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. REG. ET ORD. PRAEP. ET PASTORI
ECCLESiar. HUSIE ET W. SKRÅFLINGE.

PATRONIS OPTIMIS.

OPUSCULUM HOCCE ACADEMICUM IN GRATIAE PIAEQUE MENTIS
SIGNIFICATIONEM NON SINE MAXIME SINCERO OMNI-
GENAE FELICITATIS VOTO DAT DICAT
ET DEDICAT.

SUMME REVERENDORUM NOMINUM.

cultor observantissimus.
NICOLAUS ARESKOG.

§. I.

Multa extra libros sacros gentis Judaicae Doctores se scire venditant; quae scilicet per traditionem a majoribus in seros posteros propagatam, innotuerunt. Haec internotatu non plane indigna sunt, de praceptis Noacho datis, quae a Rabbinis scribuntur. Ut indubitatum scilicet ipsi credunt, vel aliis persuadere volunt illorum non pauci, huic secundo generis humani patri atque statori qvaedam a Deo pronunciata fuisse pracepta totam ejus posteritatem obligatura. Illa devictis in bello populis se dedentibus praescribebantur, et quidem tanta severitate, ut eadem sancte nisi servarent, occidendos Israelitae victores judicaverint. Animis quoque proselytorum, de porta qui nominabantur, inculcabantur, iisdemque summa cura se obtemperaturos nisi promitterent, non recipiebantur nec in terra Israelis morari illis fuit licitum, sed ejiciebantur: ut docetur in *Siphra* fol. 195. mihi citante RELANDO (a) Talia quippe iis etiam observare injunctum crediderunt, extra foedus Judaicum qui vivebant. Et hoc quidem sine errore, quatenus posteri Noachi omnes gentes habentur; eamque ob causam aliis quoque peregrinis, qui non proselyti fuerunt, sed varia ob negotia exercenda inter Judeos versari voluerunt, necessarium fuit dictis Noachi praceptis obedientiam praestare. Erant namque peregrini isti non tantum **תְּרוּבִים** *inquitili*, qui firmas in regione Judaica sedes fixerant, sed etiam **שָׁכְרִים** *mercenarii*, prout distingvntur Exod. XII, 45. Hi varia ad opicia, quae Israelitae non admodum tractabant, conducebantur. Confr. SAL. DEYLING (b). Praecepta vero Noachi nomine a Rabbinis insignita, qvorum observationem ab hospitibus suis tantopere postulabant Israelitae, an talia sint, ut speciatim isti Patriarchae, restaurato post di-

A 3

luvi-

(a) Antiqu. S. S. Cap. VII.

(b) Obsl. S. S. P. II. Cap. XXXVIII,

Iuvium terrarum orbe, a DEO tradita reputentur, est, de qvo merito dubitare cuivis licet. Qvin et inter ipsos Judaeorum Doctores de hisce, qvod mox infra videbimus, non convenit; imo, nonnulla illorum effata, ne dicam tota doctrina, haud satis rite cohaerere deprehenduntur.

§. II.

Legem illam mox post diluvium Noacho ejusqve filiis latam numero septem, ut titulus hujus plagulae innuit, praecpta continere Rabbini docent. Haec esse perhibentur: I. Idola non sunt colenda. II. Vitanda maledictio nominis divini. III. Sangvis hominum non est effundendus. IV. Adulterium, seu revelatio turpitudinum est fugienda. V. A furto et rapina est abstinentum. VI. Justitia et Judicia sunt colenda. Et denique VII. Membrum animalis vivi non comedendum. Sic enumerantur a R. Maymonide in *Zad Chasaka Tract. ult. citat. a CARPZOVIO (c)*. Diverso autem ordine ab aliis recensentur, scil. 1. Servarent judicium et justitiam 2. DEO benedicerent. 3. Idola non tolerent. 4. Caverent ab incestu propinquorum. 5. Abstinerent a caede. 6. A rapina. 7. Non tollerent membrum de animali vivente. Eadem qvoqve postea repetita esse inter decem praecpta a Mose promulgata Doctores Judaei contendunt. Unde dicitur in *Gemara Babylonica*, citante SELDENO (d), ex vers. Lat. ubi verba sunt: *Decem praecpta acceperant Israelitae in Mara, septem, quae Noachidarum fuerunt, seu humani generis universi; jam vero adiecta sunt iudicia, sabbatum et parentum honor.* Sunt tamen, qvi sex illa priora, nimirum: de Numine et justitia colendis, de idololatria, homicidio, rapina, vagis incestisqve libidinibus vitandis ipsi Adamo imposita tradant. Septimum autem de carne in sanguine viva non comedenda, qvod alii, ut nuper vidimus, de membro animalis vivi non tollendo pronunciant, tempore tandem

(c) In not. ad Goodvini Mos. et Aaron. L. I. C. III.

(d) De jur. nat. et gent ad discipl. Haebraeorum L. III. Cap. 9.

tandem Noachi accessisse ajunt. Cfr. HAKSPAN (e). Et sic septem praecepsis Noachi a Maymonide numeratis sex sunt demanda, quae Adamo tradita dicuntur. Qvo igitur jure Noachi illa septem dici queant, Rabbini traditionis hujus auctores ipsi videant.

§. III.

Praeterea, ut commentum illud de septem praecepsis Noachi ex eo, qvod sex dempta sunt, refellitur, ita nec sex illorum, quae primo parenti Adamo tradita narrantur, numerus rite se habet. Etenim in loco Gemarae Babylonicae §pho praec. allato, illud de justitia et judiciis colendis, in ordine sextum a Maymonide numeratum, ab aliis vero primo loco positum, inter tria ista, quae in Mara accessisse narrantur, primum est; secundum de sabbatho, tertium de Parentum honore. Et sic calculo rite inito, qvod hic nequaquam difficile est, loco sex quinque tantum Adami fuisse pracepta patet. Dein aliud quoque non conveniens, imo, effato de praecepsis Noachi plane repugnans observatur. Dum enim in loco allato Gemarici isti Doctores fatentur, septem pracepta Noachidarum esse generis humani universi, non possunt non etiam fateri, eadem non primum Noacho, sed ipsi primo generis humani parenti esse data. Incongrua et frigida esset ratio, si explicare id vellent de toto genere hominum post diluvium vivente, seu illa pertinere tantum ad Noachum ejus filios horumque totam posteritatem. Tali explicatione errorum se reos facerent, qvos plurimae Ethnicarum gentium foverunt: homines nimirum initio mundi, per faecula bene multa, turpis instar et muti pecoris sine ulla legibus vixisse. Id si quidem nolunt, enumerata jam pracepta potius Adami, quam Noachi esse nominanda concedant. His perpensis, utique longe proprius ad verum sententiam Talmudistarum accedere fateamur, quibus placet, sex tantum Adamo data fuisse pracepta: Duo affirmativa: De Numine colendo et justitia ser-

van-

(e) in Orat, Syllog. Dissert. praef. p. 28.

vanda, quatuor autem negativa: scilicet: De idololatria, homicidio, rapina atque vagis incestisque libidinibus vitandis, hisque septimum de carne in sanguine viva non comedenda a Noacho accessisse, vel rectius, illi primum fuisse exhibitum. Vid HAKSPAN (f). Hinc alias etjam Judaeorum rite existimare observat RELANDUS (g), septem ista praecepta, quibus in quilibet, seu profelyti in terra Israelitica habitantes obligantur, partim Adamo, partim Noacho data fuisse. Id, ni fallor, ita explicandum volunt: has regulas ipsis Adamo esse praescriptas, et dein, post diluvium, Noacho repetitas, quibus omnes illorum posteri obsecundarent actionumque suarum normam agnoscerent.

§. IV.

Singula praecepta eo ordine, quo a Maymonide recententur §. II. dum considerabimus, in antecessum moneamus, cum sex ista Adamo data Talmudistae affirmant, de Adamo lapso id procul dubio intellectum illos velle. Primus namque hic generis nostri parens, ut perfecto instructus corpore ita etiam tam perfecto, quam a sapientissimo Creatore addi illi potuit, intellectu et sancta voluntate creatus fuit, nullum alius DEI conceptum habere potuit; ideoque idolorum cultum illi interdicere supervacaneum fuisse. Ex hoc prono itidem fluit alveo, nec secundum transgredi illum potuisse: de non maleficendo nomine divino; id, quod alii Judaeorum Doctores affirmative enunciant, quod scil. DEO benediceret, id quod non potuit non facere, quatenus DEUM Creatorem ac sustentatorem suum agnovit. Verum enim vero, quantum ego quidem inspicere valeo, nullum praeceptum Adamo integro a DEO expresse datum firmis rationibus affirmare possumus, praeter unicum, quod non ex scriptis Rabbinorum, sed ipsius historia Mosis certi novimus: de comedendis fructibus omnium arborum paradisi, sola arbore excepta scientiae boni et mali Gen.

(f) l. supr. cit.

(g) l. f. c.

Gen. II, 16. 17. Lapso autem singula ista a Rabbinis memorata praescribi potuerunt, licet haud opus fuisse videatur, ipsi Adamo ab effusione sanguinis humani ut abstineret mandare; hoc enim quippe naturae ejus repugnans, quemadmodum ipsi de testationi fuit, ita etiam DEO displicere sine dubio novit, quamvis e perfecto et felicissimo, in quo creatus erat statu in longe deteriorem prolapsum esset. Nec est, quod dubitemus, Patriarcham longaeum, quaecumque vera et bona ipse no verit, etiam filios, nepotes et posteros docuisse cunctisque se dulo inculcasse; idque vel sine divino iussu, quod tamen etiam illi fuisse, quocunque demum modo revelatum, non praefracte negandum existimo.

§. V.

Ad quartum praeceptum, de adulterio et incestibus fugiendis, quod attinet, primis quidem mundi temporibus contra illud peccandi in nullo, saltem primi nostri parentes, periculo versabantur. Dein vero multiplicato valde hominum generre, fieri potuisse non pernegandum. Attamen per naturalem averstationem, qualem in quibusdam brutorum animalium speciebus observamus, a tam foedo et infando scelere, etiam sine interdicto, primo creatos abhoruisse, cur credamus rationes adsunt. Mens nimirum primorum mundi incolarum nondum voluptatibus admodum corrupta judicari potest; Praeterea primis ipsis saeculis varias animi curas corporisque labores, quibus miseri fatigabantur mortales, dum ea pararent, ad vitam sustentandam, quae necessaria fuerunt, nefarias scortationis et incestus illecebras vix admississe faciles credamus. Digna, quae hic tanquam in transitu consideretur, prima generis humani per ordinariam viam propagatio. Si quidem ex unico tantum hominum pari totum genus ortum suum ut traheret, pro infinita sua sapientia Sanctissimum Numen voluit, is finis aliter obtineri nequivit, quam ut filiis Adami et Evae illorum filiae nuberent. Quod si nunc fieret, ut fratres et forores

B

coi-

coirent, non dubitandum, quin incestus committeretur, qui
severe prohibetur Lev. XVIII. Quae ibi prohibita leguntur,
an juris naturae sint, an ad leges tantum Israelitarum civiles
pertineant disceptari memini. Haud desunt nostro aevo, et-
jam non infimi in orbe eruditio nominis viri, qui non hoc so-
lum contendere non vereantur, sed omnia quoque Decalogi
praecepta solis Israelitis data alios homines non obligare diser-
tis verbis affirmare audeant. Illos non nominatos relinquo.
Habeant sibi, talis doctrina si quid prodet accuminis. Mihi ve-
ro quid putem si dicere licet, credo utique, eam sententiam
in illarum numero haberi debere, quae assumuntur, credun-
tur, ac defenduntur, non quia verae sunt, sed quia mos loci
cujusdam vel temporis ut defendantur postulat. Alias de pri-
mis mundi conjugiis, hoc ni fallor, modo ratiocinantur:
Ius naturae, quippe in ipsius attributis DEI fundatum, est im-
mutabile et nequidem dispensari, ut loquitur Icti, ab ipso
DEO potest; Cum vero inter Adami filios et filias matrimo-
nia contracta fuerint, ipso Creatore primo initio sic ordinante,
ut aliter genus humanum propagari non potuerit, ince-
stus per jus naturae non prohibetur; ergo ad leges tantum Rei-
publicae Judaicae illud pertinet praeceptum aliosque homines
obligare nequit. Ab altera autem parte longe meliori jure
provocatur non modo ad consuetudinem maxime moratarum
gentium, sed etiam nonnullarum, quae barbarae et tantum non
ferae nationes habentur, apud quas saevissimis poenis incestus
crimen punitur. Qyalia haud pauca ex fide dignis recentio-
rum itinerariis, si vacaret, in medium proferri exempla pos-
sent. Ceterum, inter peccata a Cananaeis patrata, vel cau-
sus, ob quas ex terra devoti ejicerentur, vel crudeli inter-
necione extirparentur, in primis matrimonia illorum in
proximis propinquitatis gradibus recenseri videmus Lev. ci-
tati Capit. v. 24. 25. Injustum autem fuisse, quis nega-
ret? alias nationes punire ob transgressas leges non illis,
sed Israelitis latae. Hinc procul dubio rite formatur argu-
mentum et seqvi videtur, ut matrimonia in proximis pro-
pin-

pinqvitatis gradibus contra jus naturae ineantur. Jam ad Adami et Evaē liberos ut revertar: circa illorum matrimonia, ut res ita tempora rerum si quaerimus, jus naturae dispensatum stricte dici neqvit, sed adfuit ibi collisio duarum legum naturalium. Scilicet: genus humanum fuit propagandum, et quidem ut sapientia summi Numinis reqvisivit, ex uno sangvine, seu unico hominum pari fieri id debuit. Cum autem primo isto mundi tempore ex alia stirpe homines non existerent, summa exegit necessitas, ut filii Adami et Evaē sorores suas uxores ducerent. Talis vero necessitas cum postea non extiterit, jure optimo tam foeda sua flagitia Cananaei, complures illorum violenta morte, alii perenni exilio luebant.

§. VI.

Haec de qvatuor primis praeceptis annotata sint. Quintum, qvo prohibetur furtum et rapina, per se patet ita comparatum esse, ut qvatuor praecedentia, primo creatos homines si relpicimus. Vix cogitare licet, contra hocce peccare illos unqvm potuisse; a qvo namqve qvidqvm furarentur, aut raperent? Itaque deficiente peccandi occasione frustra peccatum prohiberetur. At eum in finem tale primis parentibus datum fuisse praeceptum, ut filiis, nepotibus et posteris illud promulgarent, a veritate neutiqvm est alienum; cum ipsos inter illorum filios primosqve nepotes furtum et rapinas prohibendi necessitas mente concipi possit. Etenim quantum ex historia sacra colligere licet, dominia rerum, non obstante ubertate, qvam natura tunc admodum vegeta porrigebat, dum introducta fuerunt. Kainum nempe frumentum, procul dubio alias qvoqve terrae proventus, Abelem oves habuisse legimus Gen. Cap. IV. Adeoqve qvod alter alteri rapere potuisset uterqve possidebat. Nec minus contra sextum praeceptum, qvod justitiam exercere jubet, ab ipsis Adami filiis proh dolor! delinqvi potuit; prout innocentem et justum Abelem

a fratre Kaino, homine invido et iracundo **inuria omnium maxima affectum et occisum ibidem legimus.**

§. VII.

Septimum denique praeceptum: de non comedendo membro animalis vivi, quod Gen. IX, 4. sonat: *Ne comedite carnem in sanguine suo viventem*, non sine ratione, ut puto, a Rabbinis Noachi vocatur, tanquam illi primo expresse pronuntiatum, quamvis inde ab initio tale habitum fuerit facinus, a qua natura cuiusvis fana mente praediti abhorruit. Forte non adeo multa ante diluvium saecula, cum in plus quam ferinam immanitatem maxima pars hominum prolapsa esset, tam detestandas vorare dapes impios inter Kainitas moris esse coepit. Ideo quod mox post diluvium tam insana et horrenda in bruta innoxia saevities Noacho ejusque filiis in mentem a DEO revocatur, ut tanto diligentius ab ea sibi caverent. Ceterum septem jam exposita pracepta, five ab Adamo, five a Noacho denominare Rabbinis placet, alia id fieri ratione nequit, quam ideo, quod primis parentibus cunctisque illorum posteris per sanam rationem in mentibus insita fuerint, ut ignorari nequeant. Quin et pari jure secundo generis humani patri Noacho tribui possent. Nec mordicus nego, sed admodum probabile habendum, ut nuper de Adamo dictum, a pio Patriarcha post restitutum ab aquis diluvii terrarum orbem ista juris naturae pracepta a filiis et nepotibus sancte servanda inculcata fuisse; quamvis nulla in libris Mosis ejusmodi immediatae, ut dicitur, a DEO, praeceptionis mentio facta inveniatur. Paucis, si quod res est hac de materia dicatur. Alia pracepta eo, quem Rabbini volunt, sensu DEUS Noacho non praescripsit, quam duo ista: I. De non comedenda carne, quae in sanguine suo vivit et II. De ejus effundendo sanguine, qui sanguinem humanum effuderit. Vid Gen. IX, 4. 6. Illud quippe naturae repugnans etiam ante diluvium fuit illicitum, et hoc quippe maxi-

maxime justum, tunc qvoqve fieri debuit, sed inter scelestif-
simos primi mundi homines exsecutioni non dabatur; qvia in
tam atrocis sceleris reos non facile qvisqvar debita poena
animadvertere potuit; illa vero nunc certa Noacho definitur.

§. VIII.

Denique paucis observare licet, qvam parum ipsos inter
Judaeos de hac doctrina conveniat: Doctores isti Gemarici
in verbis §. II. allatis docent, septem praeceptis Noachi, qvae
ad genus humanum universum pertinent, in Mara demum ad-
dita fuisse judicia, sabbathum et illud de parentum honore;
cum tamen justitiam et judicia esse colenda sextum constituat
praeceptum, prout eadem recensere Maymonidem eadem
Opere vidimus. Parentes vero honorare toti generi humano
incumbere et reapse legem naturalem esse, qvis negaret? Hoc
procul dubio tanto minus, cum inde a prima nativitate non
cunctis hominibus tantum, sed plerisque etiam animalibus
brutis a natura inditum comperiamur, ut parentes ament eo-
rumque sequantur nutum. Aliquanto forte rectius praecep-
tum de Sabbatho, ut novum et in Mara demum, ut dicitur, ad-
ditum contenderent. Attamen meliori jure mandatum de
Sabbatho sanctificando itidem ad jus naturae pertinere statua-
mus. De hoc a Theologis et Philosophis disceptatur et ad-
huc sub judice lis est. Laborem die septimanae septimo inter-
mittendum esse, qvin ipse Adamus neverit, neminem dubi-
tare sinit, qvod dicitur Gen. II, 3. Quantum mihi quidem
judicare datum, saltem qva partem id affirmandum puto. Ete-
niam moratores gentes, qvas novimus, certum qvendam quie-
ti et cultui divino, qvaliscunqve demum is apud plerasque
fuerit, consecrasse diem ex antiquissimis earundem historiis
novimus. In hanc rem verba celeberrimi Judaeorum histo-
rici Fl. JOSEPHI (*h*) afferre mihi liceat, qvae in versione La-
tina

(*b*) libr. contr. Appion. circ. fin.

tina sunt: Qvin etjam populi jam diu multum nostram pietatem aemulantur, neque est civitas Graecorum, aut Barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimi diei, in quo vacamus nos, consuetudo minime pervenerit: et paucis interjectis, illud, inquit, mirabilius est, quia absque exactiore hujus observationis ipsa lex per se ita valuit homines obligare, et quemadmodum DEUS in universo mundo consistit, ita lex per cunctos ambulavit. Nec non de Sabbatho gentium tale PHILO (*i*) testimonium perhibet: *Quis sacrum illum septimum diem non veneratus est, remissionem laborum atque quietem ipsi patrifamilias et domesticis ejus, non solum ingenuis, sed et servis, in omnibus etiam jumentis afferentem.* Haec, quasi excipiendi essent Romanii, non refellit malignum TACITI (*k*) judicium de gentis Iudaicae a labore per illum diem cessatione, dum talis vacatio causam in pigritia quaerendam fatue credit: *Septimo inquitens die otia placuisse ferunt, quia is finem laborum (Israelitis in deserto errantibus) tulerit, dein blandiente inertia septimum quoque annum otio datum.* Ipsos namque Romanos diebus festis minime caruisse ex OVIDIO (*l*) satis superque patet. Duobus Iudeis illis longe antiquorem scriptorem Graecum HESIODUM (*m*) addam, qui septimum diem sacrum diserte nominat:

πρῶτον ἐν τέλεσας τε καὶ εβδόμην οἰεῖς ἡμέρα.
Primum novilunium, quartaque et septima sacra dies.

Unde iste mos pluribus communis gentibus, nisi a natura illis inditus? Ita nimirum inditum puto, ut redeuntem post certum aliquod dierum intervallum quietem naturae humanae admodum convenientem intellexerint. Sin vero quis diceret, statores gentium per continuatam traditionem a primis patribus talia habuisse, hos a Noacho, illum suis a patribus usque ad Adamum, cui ex revelatione, quocunque demum modo facta, innotuerunt, non ego refragabor, sed quaeram potius, qualem naturae habituri fuissimus, si nulla unquam divina revelatio

(*i*) Lib. II. de vita Mos.


(*k*) Historiar. L. V. circ. initium.

(*l*) in Fastis.

(*m*) Dies v. 6.

tio generi nostro contigisset. Hoc jam missum faciam: de materia autem, quam tractandam mihi sumsi, summatim dicenda haec sunt: septem ista jam exposita praecepta Noacho post diluvium demum fuisse tradita merito vanum et male cohaerens Rabbinorum commentum habetur. Eadem vero a primis hominibus non ignorata, quemadmodum reliqua decalogi praecepta, juris naturae esse contendeo, cujus illa quasi compendium iussu divino Moses promulgavit.

T A N T U M.



ob: amissione nullum meo ooh: diligenter orles frater o:
ib: paternus: ibm: idem nobis ob: mvp: p: m: n: s: c: s:
c: d: o: f: l: c: e: s: k: p: r: g: o: f: c: t: r: s: n: c: n: s: n: o:
c: o: p: l: e: s: t: r: e: t: r: s: b: e: l: b: e: l: m: u: g: e: s: o: c: h: f: o: r:
s: o: r: v: i: n: f: l: l: .
l: s: v: p: s: l: i: t: o: .
d: i: v: e: g: l: i: t: o: r: s: e: c: o: M: e: n: i: v: i: b: u: l: i: v: i: s: q: u: e: s:

M U T H A T



homine invido et iracundo injuria omnium
et occisum ibidem legimus.

§. VII.

enique praecepsum: de non
i, qvod Gen. IX, 4. sonat
entem, non fine ratione
tur, tanquam illi pri
de ab initio tale ha
na mente praedit
um faecula,
ia pars homi
impios int
uvium
cho
ger
ce
cet,
ntibus c
tibus infi
secundo ge
c mordicus neg
iper de Adamo die
is diluvii terrarum o
as naturae
et nepotibus sancte serv
ibris Mofis ejusmodi imm
iae, ut dicitur,
tionis mentio facta inveniatur. Paucis, si
e materia dicatur. Alia pracepta eo, quem
ensu DEUS Noacho non praescripsit, qvae in sangvine suo
us effundendo sangvine, qvi sangvinem hu
Vid Gen. IX, 4. 6. Illud qvippe naturae
unte diluvium fuit illicitum, et hoc qvippe
maxi-